

PRO

IMMACVLATA VIRGINIS MARIAE CONCEPTIONE IN LITERA BREVIS DEFENSIO,

ET PRO DEFINITIONE PRÆSERVATIONIS IPSIVS IN AFFECTV, MAGNA SVPPLICATIO,

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO DECIMO

FACTA,

ET NOBILISSIMO HISPALENSIS CIVITATIS SENATVI EXHIBITA,

PER COLLEGIVM HISPALENSE CARMELITARV̄, DIVO ALBERTO SACRVM.

ANNO DOMINI M. DC. L.

NOBILISSIMO, ET FIDELISSIMO HISPALensis Ciuitatis Senatui, ad quem cuncta Encomia currunt, sed imparia accedunt,

COLLEGIVM HISPALENSE DIVI ALBERTI Salutem dicit, & fœlicitatem precatur.

EXIMIO Vestro, & ardenti animo (qui cœli Sidera, & terræ metas transcendit,) erga Virginis MARIAE honorem hoc adiungimus paruulum Opus, quod non forma elaborata condecorat, sed desiderata materia nobilitat. In eo quidquid ad definiendam Deiparæ immunitatem â peccati Originalis labe sat est, clausum reperietur, nam si eloquio coarctatur, rationibus non comprimitur. Accipite ergo Nobilissimi Heroes, vt per vestras manus ad pedes Sanctissimi nostri Pontificis reponatur; & tunc id, quod nostro calamo fucatum languet, celsitudine vestra, vt speciosum consurget. Valete Viri Nobilissimi.

Sanctisʃime Pater.

FILII Beatiʃsimæ, ʃemperquè Virginis MARIAE de Mõte Carmeli ʃub Patriarcha Elia in Collegio Hiʃpalenʃi Diui Alberti commorantes, ad tuos voluti pedes corde & affectu ad oʃcula conuolamus, preces vt audiat pias pro immaculata Virginis Cõceptione pijʃsimus Pater, & pro definitione innocentię ipʃius ab Originali peccato Sanctiʃsimus INNOCENTIVS, & quia DECIMVS numerus perfectionem ʃignat, omnibus numeris abʃolutam indicat, Virginē MARIAM à tua Sanctitate pronunciandam, iuxta tui ʃtemmatis vaticinium, in quo Columba ramum Oliuæ portans ab aquis munda dilunij ʃacro myʃterio requieʃcit.

Ab antiquitate Patrum noʃtrorum accepimus, quod â noʃtro Patriarcha Elia ʃucceʃʃoribus fuit traditum, Beatiʃsimam, ʃemperque Virginem MARIAM ab inquinamento originis mundam fore concipiendam. Idque noʃter Ioannes Hyeruʃalem Antiʃtes 44 ad annos 400. magni habitus â ʃancto Anaʃtaʃio Pontifice Romano in Epiʃtola ad ipʃum, & â ʃancto Auguʃtino fœliciter relatus lib. 2. aduerʃus literas Petilliani cap. 31 Iʃte ergo magnus Epiʃcopus Hyeroʃolimorum teʃtatur lib. de inʃtitutione Monachorum cap. 39 ʃecundùm Petrum Vvallelium, dicens: *Per hoc, quod ille puer Eliæ vidit de mari Nubeculam paruā oriri, reuelauit Deus Eliæ, quod quædam Infantula, ʃcilicet Beata* MARIA *per illam Nubeculā ʃignificata, & inʃtar illius Nubeculæ per humilitatē parua naʃceretur de humana natura peccatrice deʃignata per Mare. Quæ Infantula iam in ʃuo ortu munda ab omni peccatorum ʃorde, quemadmodum illa Nubecula fuit de Mari amaro ʃine aliqua amaritudine. Licèt namque Nubecula illa eʃʃet originaliter eiuʃdem naturæ cū Mari, alterius fuit qualitatis, alteriuʃquè proprietatis: Mare quippe ponderoʃum eʃt, & amarum, ʃed Nubecula leuis fuit, & dulcis; ʃic quamuis in quolibet alio homine natura inʃtar Maris ʃit in ʃua origine, ita amaritudine peccatorum, & pondere vitiorum preʃʃa, vt fateri cogatur: Iniquitates meæ ʃupergreʃʃæ ʃunt caput meum, & ʃicut onus graue grauatæ ʃunt ʃuper me. Pʃalm. 37. Beata tamen* MARIA *de hoc Mari, id eʃt natura humana aliter fuit orta: quoniam in ʃuo ortu non fuit onerata amaritudine*

 delicto-

delictorum, sed instar illius Nubeculæ fuit leuis per immunitatem pecca torum, & dulcis per plenitudinem charismatum. Ipsa enim in suo ortu fuit nubes illa, de qua per Moysen figurata, est scriptum: Ecce gloria Domini apparuit in nube. Exod.16. Quæ sanè verba *Originaliter, & In sua Origine*, ad ortum Conceptionis referenda sunt, & non ad ortum Natiuitatis retorquenda. Nam aliàs vterq; Patriarchâ Elias reuelans, & Ioannes describés, nil mirum de Virgine Deipara annunciandũ conclamarent, cùm de Ioanne Baptista Angelus dicat Gabriel: *Et replebitur Spiritu sancto adhuc ex vtero Matris suæ.* Et de Hieremia Propheta sacer referat textus: *Antequàm exires de vulua sanctificaui te.* Et Virgo MARIA ea puritate debuit nitere, qua maior sub cœlo nequit intelligi, vt ait Diuus Anselmus. Ista traditio inter nos venustissima ita radicata effloruit, vt semper conspiciatur virescens. Nam vt asserit noster Ioannes Bachonius (vt innumeros ex nostris transeamus) lib.4. sententiarum, artic.3. distinct 2. quæst.4 (ab hinc trecentis annis) *Publica & diuturna consuetudine celebratum est hoc festum in Curia Romana, etiam cum venerabili Congregatione Dominorum Cardinalium, cum solemni Missa, & Sermone singulis annis in domo Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, & hæc durauerunt tempore multorum Romanorum Pontificum vsque ad præsens tempus. Et constat, quod tanquam diuturnam, & notoriam solemnizationem ipsis in Curia præsentibus seruatam benè nouerant Domini nostri Pontifices, & Sedes Apostolica. Et per consequens hæc est sancta, & Catholica Religio.* Et pulchrè ait: *Benè nouerant Domini nostri Pontifices*, vt tãquam veram, & fidei consonam silentio comprobatam relinquerent Virginis MARIAE immunitatem ab Originali peccato; scribit enim sanctissimus Papa Iulius Epistola ad Episcopos Orientales textu 24. quęst.1. *Officij nostri consideratione, non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ Religionis zelus incumbit.* Et hæc antiquissima traditio cõstat ex Carmelitarum Ordinis libro, in quo pro eiusmodi festo celebrando in Curia Romana taxantur expensæ in 13. Capitulis Generalibus Ordinis ab anno 1393. vsque ad annum 1469. & â principio videtur Statutum prædictorum Capitulorum de hoc festo celebrando in toto Ordine, & quod fierent Octauę solemnes.

Ex auctoritatibus sacræ Scripturæ, vt ex primis fundamentis hæc immaculata domus â Deo constructa resplendet; nam

in

in literali sensu verba Genesis cap. 30. sunt accipienda, cùm Deus serpentem sic minatus est: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Fuit ergo Virgo Beatissima mulier ista ex communi Patrum consensu, & non solùm inter semen illius, quod est Christus, inimicitias ponendas asserit sacer textus, sed notanter dixit: *Ipsa conteret caput tuum*, speciali nota ab Spiritu sancto expressa, vt priuilegium Virginis planè describeretur. Et quod caput serpentis ab ipsa conterendum, peccatum sit Originis ex Diuo Augustino pulchrè cõstat; ait enim sermone 17. de Natali Domini: *Cùm nemo succurreret, ad fæminã causa reuertitur, & origo per originem detruncatur, origo peccati per Genitricem Dei.* Et quòd iste locus sit literalis asseruit Pater Magister Fr. Ioannes Baptista de Lezana in suo Apologetico libro pro immaculata Deiparę Virginis Conceptione, cap. 3. cui libenter adhæremus, nam se huius mysterij irrefragabilem interpretem dilucidè monstrat. Constat etiam ex littera Diui Pauli hæc veritas immediatè expressa, nam 5. ad Romanos describens totius humani generis lapsum Adamo expoliante, exceptionem Virginis exprimit Christo restituente: *Propterea* (ait) *sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputabatur, cùm lex nõ esset; sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Ecce verbis sequentibus Virginis priuilegium: *Sed non sicut delictum, ita & donum; si enim vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* In plures (id est *Homines*, comparatiuè ad verbum *Multi*) abundauit gratia, inquit Paulus, nõ solùm ratione dantis, nempè Dei & hominis, neque solùm ratione donorum, sed etiam ratione subiectorum præcipuè in plures abundauit. Nam sicut verba sonant, intelligenda sunt, modo non adsit fidei dissonum. Et ad immediatam significationem seruandam aliqua pura creatura debet assignari, cui cum totali carentia peccati, gratia suum communicet effectum formalem. Et alia esse non potest, nisi Domina nostra Virgo Deipara, quę caruit Originali peccato; & in illa verificantur in sensu expresso sacræ Scripturę, & ab ipso Spiritu sancto intento verba Genesis: *Ipsa conte-*

 ret

ret caput tuum. Et Pauli verba: *Sed non sicut delictum, ita & donū; nam gratia in plures abundauit.* Nam si aliter censendum esset, Spiritus sanctus sic expressisset per Paulum: Multi mortui sunt per Adamum, & multi per Christum viuificati sunt, si omnes, quos culpa tetigit, sanauit, & gratia. Sed nō sic, sed *Multi mortui sunt, & gratia in plures* (comparatiuè ad verbum *Multi*) homines abūdauit. Et quod iste locus sit literalis pro Deiparę Virginis immunitate asseruit Pater Magister Fr. Petrus Simancas Ordinis Eremitarum D. Augustini, in suo tractatu, quem Regi Magno Philippo Quarto dicauit: cui subscripserunt ferè septuaginta Magistri ex diuersis familijs, vt in dicto constat instrumēto.

Ex Concilijs hæc veritas interpretanda lucescit, nam Sanctus Iacobus Apostolus in Liturgia, quam sexta Synodus canone 32. veneratur, dictum expressit de Beata Virgine Deipara: *Commemorantes Sanctissimam, Immaculatam, & Gloriosissimam Dominam nostram Matrem Dei.* Et circa finem ait: *Dignum est, vt te verè Beatam dicamus, & omnibus modis irreprehensam, honorabiliorem, quam Cherubin, tibi, ô gratia plena! vniuersa creatura gratulatur, quæ es Templum sanctificationis.* Et Sanctus Andræas Apostolus vt in eius gestis refert Abdias lib. 4. hist dixit: *Sicut Adam formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta: ita secundus Adam formatus est ex terra virginea nunquam maledicta.* Et in septima Synodo act. 3. vocatur *Immaculata, & omni sensibili, & intellectuali natura purior.* Et Concilium Tridentinum sess. 15. declarat Virginem MARIAM non comprehendi sub definitione sua generali de Originali peccato.

Ex Patribus ferè perpetuus consensus hanc veritatem conclamat. Stat Diui Augustini inconcussum testimonium, nā contra Pelagianos scribens lib. de natura, & gratia cap. 32. concludit, neminem esse sine peccato, etiam infantes, & ita loquitur; *Excepta Virgine Matre, de qua cùm de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quòd plus gratiæ ei collatum est ad vincendum ex omni parte peccatum, quia eum concipere meruit, & parere, quem scimus nullum habuisse peccatum.* Et Diuus Damascenus Orat. 1. de Natiuit. Virginis sic exclamat: *O Sanctissima, quæ Principatus, & Potestates fefellisti, Immaculata conseruata in Dei sponsam.* Diuus Ambrosius Sermone 22. in Psalm. 118. scribit: *Suscipe me, non ex Eua, sed ex* MARIA, *vt incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Et Ioannes Hyerosoli-

rosoli-

rosolimorum Antistes 44. cap. 40. secundùm Petrum Vvastelium, de Virgine Sanctissima sic interpretatur: *Puer Eliæ prospexit contra Mare, si fortè eo tempore Nubecula, id est Infantula aliqua esset nata contra Mare, id est, contra solitam, amarã, & vitiosam propaginem naturæ humanæ.* Fulbertus Carnotensis (vt refert Canitius lib. 1. cap. 7.) sic Virginem Deiparam salutat: *Aue* MARIA *electa, quæ Immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem totius sanctitatis.*

Ex rationibus congruitas erumpit, ita pulcherrima ab intus, vt nec exterius suspicio percipi queat. Primò, nam prædestinari in Matrem Dei, & esse filiam Diaboli (licèt breuissimo temporis interuallo) est debellare prouidentiam, quę (vt experimentis constat) tribuit vnicuique iuxta præfixam à Deo dignitatem, & Matris Dei dignitas, vt ad diuinam sphæram pertinens cum omni pugnat peccato. Ad quid Regina Hominum, & Angelorum si primò Ancilla Satanę? Secundò: Potuit sic pręseruari, & redimi, & decentia Matris vrgebat, vt non esset habitaculum Dœmonis, Dei domus. Ad quid Hortus conclusus, si primò ingressus est Diabolus? Tertiò efficaciter: Virgo MARIA non habuit peccatum actuale, ergo neque originale. Consequentia probatur ab identitate rationis. Ideo non habuit peccatum actuale, vt esset Deo digna Mater, licèt dato quod illud habuerit, repleretur gratiâ sed etiam pugnat cum dignitate Matris Dei peccatum Originale, licèt postea repleretur gratiâ: ergo peccatum Originale non habuit. Maior, & minor certissimæ sunt, nam quæ indignitates ex peccato actuali contra dignitatem Matris Dei resultarent, in Originali reperiuntur, imò in hoc maior consurgit indignitas, cùm sit etiam priuatio iustitiæ Originalis, quam non exprimit actuale peccatum. Ergo hac ratione Theologica conuincitur, Beatissimam Virginem MARIAM immunem fuisse ab Originali, sicut ab actuali peccato propter inseparabilem in vtroq; indignitatem respectu illius, quę in Dei Matrę prædestinata est. Quartò: Quia inter Doctores receptissimum est, quòd priuilegia aliorum Virgini fuerunt abundantiùs cõcessa, sed Angeli ex gratia fuerunt in gratia creati; ergo Virgo, & Angelorum Regina, in gratia ex gratia fuit concepta.

SI Ergo SANCTISSIME PATER, Antiquitas docet, Ratio suadet, Sanctitas exponit, Scriptura exprimit, & Orbis defide-

rat, congruum est, vt Fides astruat, quod fuit decentissimum Deo, & erit Ecclesiæ gratissimum, cùm è medio tollantur populorum scandala. Id ad tuos prosternati pedes rogamus, id anhelantes petimus, vt affectuosi filij, qui ante Natiuitatem Beatę Virginis Deiparæ, eius Conceptionem â peccato Originali immunem veneramur. Age ergo SANCTISSIME PATER, vt desideria Regnorum, & Gentium acclamationes complean tur, vt quod pietate â se affirmant pulsi, fide â te roborati credant. Faxit Deus; quem supplices rogamus, vt tuę Sanctitati diuturnitatem vitę & fœlicitatem salutis in bonum sanctę Romanæ Ecclesię largiri dignetur, vt ipsi adhęreas per sęcula cũcta, Amen.

OMNIA SANCTAE ECCLESIAE ROMANAE
SVBIICIMVS.

Magist. Fr. Petrus de Vargas, & Vera, Rector.

Mag. Fr. Petrus de Quesada.

Magist. Fr. Petrus de Leon, Regens.

Mag. Fr. Bernardus de Hozes.

Fr. Ioannes de Luque Lector Theologus.